

contrarium, quod huius actionem retardet, & ipse Arist. insinuauit rarum, & densum posuisse antiquos tamquam formas contrarias in 1. Phy. & in 7. inquit, omnium passionum priucipium est densitas, & raritas; & graue nanq; & leue, molle, & durum, calidum, & frigidum densitates esse videntur; densitas autem, & raritas congregatio, & disgregatio sunt, secundum quas generatio, & corruptio dicitur substantiarum, & sic, credo, Plato magnum, & paruum posuit ex parte materiae, at varietas intelligitur apud ipsum ex formis, densans enim frigus facit paruum, & rarefaciens calor magnum in eadem mole, vt videtur Plotinus dicere, Quandoq; Plato vsus est contrarijs duobus, quorum vnum vocauit alterum seu diuersum, alterum idem. Sed per hæc omnes intellexerunt contrarias formas. Et Simplicius Antiquorum scrutator, per rarum, inquit, & densum, lumen, & tenebras alterum, & idem Antiqui sensere contrarias duas formas, & cum hæc differentie sint in calore, & frigore, vt diximus, ritè omnes vel inuiti, vel obscure locuti calidum, & frigidum posuere principia, & igitur, & terram. Vnde Parmenides, qui ignem nobiscum, & Terram statuit rerum exordia, his vocauit ipsa nominibus, quod testatur Simpl. dicens in verbis Parmenidis sic scriptum vidisse. In raro est subtile, calidum, lux, molle, leue; & in denso frigidum, caligo, durum, & graue, vnde oppositis modis, & locis in contrarijs duo elementa accepisse videtur cælum igneum scilicet & Terram. Et ex Parm. ait Simp. Arist. sumpsit sua principia cõtraria duo, & materiã vnã, nam nec reprobat directè Parm. verba, vt Bernardinus Telesius admonet, itaque tempus est, vt ad Aristot. deueniamus, & si alia potuerit à nobis ponere principia, examinemus.

Contraria duo Aristotelem posuisse principia, & ambo actiua in inuicem, mutuoque passiuã, quorum alterum, quia imperfectius est more entis priuati, priuationem vocauerit, sed actiuum, itaque & ens esse voluit, (licet quandoque non ens argumento antiquiorum territus nuncupauerit) veluti frigus; alterum, quia perfectum, formam, habitumque dixerit, manifestum fiet considerantibus hæc. Ipse quidem in phy. 1. t. 4. t. postquam omnium enarrauit opiniones, quos modo nos recensuimus, afferentium principia esse contraria, & in inuicem actiua veluti epilogas in hoc eos laudat, eisq; adheret, probans & ipse oportere esse mutuo actiua, vnde si sicut aiunt Peripateticorum plerique, priuatio Aristoteli esset nihil, & absentia formæ, minime actiuum ens ei positum fuisset, inuestigatumq; ex actione contraria rerum. Omnes (inquit) contraria principia faciunt, vt Parmenides calidum, & frigidum, ac alij alia. Idq; (subdit in t. 42.) non sine ratione. Principia namq; oportet neque ex alterutris esse, neque ex alijs, & ex his omnia. contrarijs autem primis hæc in sunt. vbi rationabiliter Aristoteles contraria esse actiua intelligit, nam hæc conditiones contrarijs competunt actiuis: quæ, vt sequitur, quia sunt